

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-secundo mensis Februarii, Anno Domini M. D CC. L I X.

M. FRANCISCO-LUDOVICO-THOMAS D'ONGLÉE, Doctore Medico, Præside.

An ex corporis œconomiâ necessariò sequatur mors naturalis.

I.



ADMIRANDA corporis nostri compages! tot ad diversos motus diversa organa, ad varias operationes mechanismus accommodatus, stupendus partium inter se consensus, corporis & animæ intimum reciprocumque consortium, cœlestis auræ Afflatum arguunt, Deumque adesse demonstrant mille modis. Homo ex limo conditus sentit, percipit, ratiocinatur; varias artes, scientiasque, mechanicam, agriculturam excogitat. Nec ad solam superficiem globi nostri ejus curæ terminantur; matris communis terræ viscera fodit, & ex intimo sinu varia metalla, cæteraque mineralia eruit, & ad suos usus fundit, expolit, accommodat. Quin & terras linquens cœlum scrutatur, sedulâque indagine siderum motus deprehendit, quâ cognitione anni tempestates notet, itinera sua dirigat: jamque ad ultimos Indos suæ viæ securus ibit mercator, metuetque tantùm infames scopulos & mare turgidum. Sunt qui de rebus absconditis Metaphysicâ, Theologiâ, Morali eleganter disserant, ratiocinioque adjuti veritates abstrusas faciant publici juris. Ast quantùm in Medicinâ excolendâ insudârint homines quis potest sufficienter dicere? quibus dignè possunt laudibus extolli in Physicâ, Chimiâ, Anatomiâ, Botanicâ tùm inventiones, tùm inventores recentiores præsertim, ex quo tempore invaluerunt sedula indagatio morborum, methodusque medendi accommodata & experimentis tùm Physico-Chymicis, tùm Medico-practicis illustrata, medicamentorumque imperitiâ & impudentiâ jactatorum obsolevit monstruosa farrago. Nec mirum quod in suam partem tot animos Medicina traheret, cùm nulla dignior, nulla illecebris plenior scientia quæ homini valetudinem, id est vitam longam felicem pollicetur, immortalitatis desiderio, homini naturaliter insito quantùm potest suavissimè blandiens. Verùm quidquid pleno ore crepent Chymici nonnulli, nulla datur Medicina universalis, inania sunt eorum promissa & certè multò magis si senium mortemque inde sequentem remoraturos, vel & impedituros esse profiteantur. Nempe vitam suâ mente concipiunt quasi flammulam aliquam, & si ita foret, omnino præstare

posset aliquid Chymia, obstans scilicet ne aura illa vitalis quâ deficiente deficeret homo (ut lampas oleo consumpto) extingueretur, eamque pro lubitu renovans & augens. Ast alio è fonte oritur moriendi necessitas. Felices adhuc æstimandi homines, si non lethi accelerarent gradum diversi morbi variique casus ineluctabiles, quibus sæpe se comites addunt omnigeni vitæ errores, labores, vigiliæ, ingluvies: his enim omnibus ante tempus machina subvertitur.

II.

CORPUS humanum non potuit ex marmore fieri, neque una continua statua esse: cùm enim ei peragendi essent infiniti motus, necesse fuit ut ex infinitis fieret machinulis; & quò plura parti cuique præscripta sunt agenda, eò exiguis & crebrioribus conflata est particulis. Fibris organicis opus fuit etiam insigni flexilitate: absque illâ concipi nullo modo possunt arteriarum sistole atque diastole, musculorum actio, & sexcentæ aliæ corporis operationes. Multùm etiam adjuvat mechanismum totiusque mobilitatem staminum exilitas, primarumque partium organicarum figura tubulata, in fibris etiam muscularibus quantùm suspicari possumus affectata. Cùm autem per vasa illa tubulata corporis nostri perpetuo motu fluant humores, teste autopsiâ imprimis microscopio adjutâ, perspiratione sanctorianâ, vulnereque tenuissimo acu exilissimâ etiam inflicto ex quo protinùs fluit sanguis vel liquor alius serosus limphaticus; necesse est aliquas particulas semper deradi & abscedere; partiumque illa destructio in moleculas comminuta tenuissimas dilutaque seroso liquido, videtur esse materia insensilis perspirationis. Itaque homo ex naturâ suâ tendit ad abolitionem, morsque ex vitâ profectò fieret consumpto paulatim toto corpore, nisi ex alimento assumpto, in nostramque naturam opere mirabili chilificationis sanguificationisque mutato damna resarcirentur: in eoque consistit corporis omninò facti integritas, ut tantùm ei accedat per nutritionem, quantùm per actionem vitæ decessit. Non verò ab hâc abrasione exhalationeque partium pendet senium morsque naturalis, cùm jacturam assumpta reparent; alio lethum properat pede: nempè, ut suprà annotatum fuit, ad vitam seu aptitudinem ad varias corporis functiones absolvendas debita requiritur flexilitas, mobilitasque organorum, justumque partes inter solidas & fluidas æquilibrium; si nimis prævaleant fluida, staminum corporis brevi succedet destructio; si solida, nulla fere erit in hæc actio fluidorum, nullaque proinde reactio; hinc quiescent omnia brevì & vita suffocabitur.

III.

FLUIDA in corpore nostro quantitate plurimùm evincere solida millenis comprobatur experimentis, & incredibile ferè quàm parum sit verè solidarum partium. Hemorrhagiis, phtisi, marasmo homo quidem potest ita mutari ut suæ molis vix ullam partem retineat, cùm tamen nihil nec vasorum nec musculorum omninò pereat, solaque de vasis elabantur dissipenturque fluida. Idem ars præstare potest venæ sectionibus, & solutionibus alvi repetitis. Omnibus verò aliundè æqualibus, multò minor est in pueris ac in senibus solidorum quantitas vel massa, cùm solida successu temporis ex fluidis efformentur, à quibus differunt ordinatione particularum & agglutinatione. Homo qui primò quidem in spumantis libidinis guttulâ latuit, intra novem menses in eam increvit partium tùm solidarum tùm fluidarum molem, quam cernere est cùm sub auras prodit; necesse ergo fuit ut ex liquore amnii, & per funiculum umbilicalem ex sanguine matris ei accederet quidquid substantiæ requisitum fuit ad illud incrementum. Ex claustris verò uteri liberatus, aëre compressus, ejusque vi & frigore corroboratus, jam densatis constrictisque solidis non tàm cita capit incrementa. Quæ præbebat mox nutrimentum natura omninò confectum infanti

tenerrimo & ferè liquescenti, jam non adeò molli parat alimentum blandum quidem & facilè subigendum, sed tamen actionem stomachi, intestinorum, vasorum chilopoieticorum totiusque machinæ requirens, lac nempe muliebre confectum ex chilo sanguinis aliquoties abrepto circuitu, & mammarum organis secreto. Primo anno corpus infantile notabilem magnitudinem acquirit, paucam tamen, si conferas cum eâ ad quam per novem menses inclusum gremio materno evehitur; minoremque iterùm secundo anno adipiscitur: robustiora enim & rigidiora facta organa extensioni magis resistunt. Fœtûs verò extensilitatem miram facilè explicat totius corpusculi mucositas, natura viscida, vasorum innumerabilis copia, cordis impetus & amplitudinis in ratione ad fluida humana vasaque primigenia major proportio, queis viribus fibræ, membranæ, vasaque omnia extenduntur, elongantur: His omnibus quotidiè decrescentibus, imminuitur etiam corporis lentiusque procedit incrementum; tandem à vigesimo anno ad vigesimum quintum (quo ætatis stadio totam ferè homo adeptus est magnitudinem fibris tunc ulteriori prolongationi resistentibus) vix paucis augetur unciis. Et certè si singulis annis eâdem proportione incresceret ac per novem primos à conceptione menses, brevi terrarum orbem angustum experiretur humanum genus. Labente denique ætate tota machina solidescit, affrictu perpetuo sanguinis canales minimi texturam ingredientes membranarum ex quibus vasa majora efformantur, coalescunt, & conferruminantur, elisi assiduo laterum attritu ad se mutuò, membranæ spissescunt, fibræ rigidiores fiunt & humoribus imperviæ. Forsàn & ad hoc conducit moleculatum solida suâ agglutinatione efficientium inconcinnus ordo à primigenio diversus; cùm enim actione vitæ continuò abscedant multæ particulæ & nutritione resarciantur, verosimillimum est non eâdem ordinatione reparari, quæ fortasse mobilitati & flexilitati omnium maximè favet.

IV.

ERGO ad mortem naturaliter tendit corpus; agilitati torpor, robori debilitas, vitæ lethum succedit. Homo quinquaginta annos natus jam non integer suis functionibus corporis statum supergressus est: paulo post oculi excavantur marcescente adiposo pulvinari eis supposito, pristinumque amittunt nitorem & aciem; deindè & reliqui sensus & animi vigor affectusque debilitantur, hebescunt: mox membra titubant, humore articulari exsiccato neque facilè renovato ægriùs peraguntur artuum motus, exsiccatis cartilaginibus intervertebralibus tota statura facilè brevior fit, perit elegans corporis facies, arescunt musculi & ad motus inepti fiunt; quem denique juvenili ætate fruentem totum florentem, vigentem, valentem cernebas, nunc exsuccus, exsanguis, impotens, vix sui similis mortem increpat morantem, quæ tandem accidet, cùm induratis arteriis, ità ut cordi perfectè resistant, sanguis immotus sistetur, minusque morietur corpus quàm vivere desinet, succedente adeò exoptatâ veteribus illâ ευθανασια senili. Siccine ad mortem factus homo? Siccine ad has miserias reservatus ut vita in eo faceret interitum, ut optimis artibus & scientiis instituta mens ad puerilem debilitatem redeat? Lugenda certè hominis conditio, ni pars sui melior vitarent libithinam animaque famaque superstes, & felix forent virtutis præmium spes vitæ melioris, rectèque facti conscientia! Nec deest sapienti tamen merces præsentior & temporanea; homines enim insani vigiliis, lucubrationibus nocturnis, opiparo victu, baccho liberaliori & omnimodâ cupiditatum indulgentiâ corpus brevi destruunt, mortisque accelerant gradum, glutinosam adtractilem vim liquidorum annihilantes, sanguinique friabilitatem, acredinem, fibris verò siccitatem, duritiem inducentes. Qui verò vitæ stadium prudenti percurrit gradu, & violentiora animi pathemata, exercitia validiora, venerem nimis cultam, lauta con-

vivia fugit angue pejora, huic vita felix & tranquilla tardumque succedet senium tristioribus incommodis : sanitatis enim sapientia soror, hæc sola moram affert rugis & immiti letho.

V.

NEC repugnat nostra sententia Sacræ Scripturæ quâ declaratur homo ad mortem tantùm ex delicto suo damnatus ; nihil enim numini impossibile, quique Deus hominem creavit, eum sanè potuit à morte immunem facere. Absque absurditate etiam concipi potest impressam esse homini moriendi sortem, nec ulla opus fuisse ad effectum sortis expressâ aliquâ Dei voluntate ; delictum ulciscitur natura sui juris facta, quæ supremi numinis legibus coërcita homini obedienti præmio fuisset. Aliundè potuit homo eâ conditione donari, ut in eo damna vitæ resarcirent alimenta, eâ tunc fortè virtute prædita ut corpus omninò repararent, & integrum eumdemque continuò præstarent, gluten illud viscidum, ductile, flexile quod verè diceres humidum radicale eâ proportione resarciendo, quâ per vim vitæ absumitur. Ast in homine ut nunc est constituto, peccatique lapsu prostrato perierunt ea privilegia, nihilque novimus quòd à morte & senio corpus immune faciat, nempè nulla alimenta, nulla medicamenta quæ organorum rigiditatem præcaveant. Ideò enim senescimus & morimur, quia arescimus. Hæc veritas quæ innotuit *Sanctorio* & *Ruischio* (licet minorem quàm par erat ei tribuerit hic ultimus extensionem, de glandulis enim mesenterii tantùm dixit quod verè diceres de toto corpore) consentaneam habet rationem & experientiam, ut demonstrant animalium ætate confectorum arteriæ cartilagineæ & minimè flexiles, ossa de corde bovum & cervorum annosiorum, &c. Hinc intelligitur quarè citiùs senescant homines rustici & validioribus laboribus agitati ; cur lentiùs, qui vitam tranquillam degunt : indè etiam quæ diæta aptior sit ad ad senium removendum, vel mortem in senio remorandam, tenuis nempe ex sero lactis, vino edentulo, aquosis vegetabilibus, leviterque fermentatis alimentis, balneis denique emollientibus quibus etiam Medea juventam, reducere dicta est ; quæ omnia lethum retardare quidem paulisper, non verò præcavere possunt ; adeò vera est illa conclusio.

Ergò ex corporis œconomiâ necessariò sequitur mors naturalis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Henricus-Michael Missa, Militarium Nosocomiorum ad Regis exercitum Medicus.	*M. Henricus-Jacobus Macquart.*	*M. Andreas Cantwel, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus, & Regiæ Societatis Londinensis Socius.*
M. Joannes-Baptista Hatté.	*M. Theophilus de Bordeu, Eques, Nosocomii Regii & Militaris Baregiensis Medicus designatus.*	*M. Benjamin-Ludovicus-Lucas de Laurembert.*
M. Joannes-Nicolaus Millin de la Courveault.	*M. Petrus-Abrahamus-Pajon de Moncets, Eques.*	*M. Leander Peaget, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in ejus Castelleto.*

Proponebat Parisiis JOANNES-ARMANDUS ROUSSIN DE MONTABOURG, Parisiensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1759.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1759.